



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid sit quodammodo Deum cernere & tenere, & qualiter sit de Deo
sentiendum, 28

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

iacundum, quam Iesum solum mentis intuitu, & cordis aviditate, contemplari Deum, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem; sicque aliam, non istam gustare dulcedinem; & inspicere aliam, non istam lucem. Lux enim ista, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur: & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius summæ lucis non est lux dicenda, sed nox.

C A P V T XXVIII.

Quid sit quodammodo Deum cernere & tenere, & qualiter sit de Deo sentiendum.

1. **Q** Vanquam autem illa summa & incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux angelorum, à nemine conspici valeat in hac vita, quod solum præmium Sanctis reservatur in cœlesti gloria: illud tamen credere, & intelligere, & sentire, & ardentè inhiare, quodammodo illum cernere est atque tenere. Sonet itaque vox super Angelos, & homo intenta mente contempletur Deum, verbis, quibus potest, suas illi dicat laudes. Iustum namque est, ut creatura suum laudet creatorem. Ipse enim ad laudandum se nos creavit, qui nostris non indiget laudibus.

2. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens: Magnus Dominus Deus noster & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Magnus Dominus Deus noster, & laudabilis

laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat; atque in his sanctis studiis, fidelis animus se totum exerceat. Hujus videlicet caelestis rhetorici suavissimis dapibus, vir desideriorum & caelestium contemplator assidue reficiatur; ut hoc caelesti pabulo saginatus, clamet clamore magno, clamet totis medullis cordis, clamet in júbilo, & ardentissimo mentis desiderio dicat.

CAPUT XXIX.

Oratio explicans plurimas Dei proprietates.

1. **O** Summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, justissime, secretissime, praesentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis: invisibilis, omnia videns, immutabilis, omnia mutans; immortalis, inlocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus; inestimabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, omnia movens, non investigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus, venerandus atque reverendus; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt.

2. Semper agens, semper quietus, colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans, protegens, nutriens, & proficiens; quærens, cum nihil desit tibi; amans nec æstuans, zelans & securus es. Pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es;
opera